







No. 359.





ASSERTIONES CONTRA MAGICAM INCANTATIOnem, & sacrilegam adiurationem Diabolorum & aliarum creatuarum: propositæ in disputationem,

à

Nicolao Hemmingio, in Martio.

Anno,

1 5 6 9.



HAFNIÆ,
Excudebat Laurentius
Benedictus.

I.


VONIAM DEVS seriò vult suum nomē inter homines sacrosanctū haberi, & requirit ab omnibus hominibus noticiam, fidem spem, actionem, iuxta verbi regulā: Damnat omnem abusum nominis & verbi sui: Quorum prophanatoribus æternas pœnas comminatur.

2.

Verùm, quia Diabolus hostis Ecclesiæ est, nihil magis in votis habet, quàm vt indies magis magisq́, crescat inter homines prophanatio nominis & verbi DEI. Nam huiusmodi prophanatione, tanquàm machina quadam bellica, muros Ecclesiæ subruere nititur.

Hinc

3.

Hinc fit, quòd Diabolus adeò obſequentem ſe præbeat ſtultis hominibus, qui nomine DEI, & ſacroſancto eius verbo ad magicas ſuperſtitiones, figuras & ſacrilegas adiurationes abutuntur.

4.

Etſi autem horrendum eſt, cogitare tantam tyrannidem exerceri à Sathana in humanum genus: Tamen magis horrendum eſt, iuſtiſſimam iram DEI, permittentis Diabolo hanc tyrannidem, cogitare.

5.

Cauſa autem huius permißionis exponitur ab Apoſtolo Paulo 2. Theßalo: 2. mittet (inquit) DEVS efficacem illuſionem, vt credant mēdacio, vt damnentur omnes, qui nō

crediderunt veritati, ſed conſenſere iniquitati.

6.

Hæc efficax Sathanæ illuſio continet omnes artes & vias, quibus ipſe, vel verbum Dei corrumpit, vel eo abutitur in contumeliam Dei, & in damnationem eorum, qui à Sathana ſeducuntur.

7.

Hic nominis & verbi Dei abuſus turpiſsimus, indigniſsimus & maximè ſacrilegus: cernitur in magicis incantationibus, ſignationibus & impijs adiurationibus.

8.

Etſi autem Sathan, nec incantationibus, nec ſignationibus, nec conceptis adiurationibus reuera cogi poteſt: Tamen iſte impoſtor Spiri-

tus

tus fingit se cogi sæpè etiam inuitũ, ad faciendum ea, quæ illi à Magis & incantatoribus imperantur.

9.

Habet autem Sathan eas suæ obediẽtiæ erga Magos & incantatores causas, quæ meritò omnes homines reprimerent, ne se Diabolo tam fatuè subycerent, in contumeliam Dei.

10.

Prima causa est, quòd Diabolus optimè sciat nulla re magis prophanari nomen & verbum Dei, quam magica impietate.

11.

Secunda. Pulchrum spectaculum Sathanæ est, quòd videat homines à se doctos & seductos, contemnere apertum Dei interdictum, ab-

negare fidem. Nam, cum verbum Dei sit Regula fidei: fieri non potest, vt fides consistat, vbi eius regula amittitur, vel ad impiam prophanitatem transfertur.

12.

Tertia. Matthei 4. indicatur: Quòd Diabolus expetat, vt homines alia media quærant incolumitatis et gloriæ, quàm Diuinitus ordinata. Hoc est, impellit homines vt audeãt corrigere ordinationem diuinã, quæ sanè horrenda tentatio DEI est.

13.

Est autem ordinatio diuina, vt nomen & verbum Dei, seruiant Christi regno erigendo & saluti hominibus parandæ: Contra hanc ordinationem apertè faciunt, qui nomine & verbo Dei abutuntur ad

magi-

magicas ſuperſtitiones, quibus erigi-
tur, fulcitur, ſtabilitur & propaga-
tur regnum Diaboli. Quid quæſó
Diabolo magis gratum eſſe poterit?

14.

Taceo Ethnicum furorem, taceo
damnatam ſuperſtitionem, taceo
pactionem cum Diabolo, taceo cul-
tum & venerationem Diaboli: Qui-
bus cùm in primis delectatur Sa-
than, non mirum eſt ipſum ſe adeò
obſequentem præbere aniculis, male-
ficis ac Magis.

15.

Vt autem hanc prophanitatem
auerteret Deus à ſuo populo, qui
Ethnica prophanitate corruptus
erat in Ægypto: Legem ſtatuit de
maleficis & incantatoribus tollen-
dis è medio: Et laudandæ ſunt leges

imperatoriæ & pontificiæ, latæ in istam horrendam blasphemiam.

16.

Nullo enim pacto ferendi sunt inter homines, qui ad incantationes magicas abutuntur nomine & verbo Dei: vt qui putent nos talem Deum habere, qui patrocinetur impietati à se damnatæ.

17.

Genera & formas antiquæ magiæ ideò omitto, quia laudabilius est illa ignorare, quàm scire & in lucem proferre.

18.

Certum est Diabolũ, tanquàm simiam, Deum imitari in erigendo & stabiliendo suo regno. Nam vt DEVS verbo, sacramentis, miraculis & Spiritu suo erigit suum regnum

num & propagat: Ita Sathan ſuo verbo, (cùm verbum Dei ſuum facit abuſu) ſuis Sacramentis, (id eſt, characteribus, figuris, fabis, pilis, & neſcio quibus alijs nugis) ſuis præſtigijs, loco miraculorum: & ſuo Spiritu, quo efficax eſt in voce magorum incantantium & adiurantium.

19.

Ne quis autem ambiguitate vocis ADIVRATIONIS decipiatur: ſciat verbum Adiurandi, plura habere ſignificata.

20.

Primùm enim ſignificat idem, quod ſimplex verbum Iurare: Niſi quòd AD particula, ἐπίτασιν & αὔξησιν notat.

21.

Secundò, Adiurare ſignificat

facere vt aliquis iuret, & iureiurando interposito aliquid promittat.

22.

Tertiò, ad Genus transfertur, & significat, nūc imperare aliquid, interposita diuini nominis authoritate: Nunc rogare aliquem, vt ob religionem & metum Dei, aliquid agat vel non agat.

23.

Hinc Adiuratio, quæ si fuerit Dæmoniorum, nititur fide miraculorum adiurantis: At si hominum fuerit, pendet vel ab authoritate, vel obtestatione adiurantis.

24.

Quartò, Magicis impostoribus adiurare, est virtute pronuntiationis conceptorum verborum, additis nunc certis characteribus, nunc ne-

scio

ſcio quibus alijs nugis & cæremo-
nijs, adigere Diabolum, vel alias creaturas ad imperata facienda.

25.

Porrò, vt ſciatur nos non omnem Adiurationem damnare: Obſeruetur quòd triplex ſit Adiuratio, Diuina, Magica & Adiaphora.

26.

Diuinam voco, per quam interpoſito iureiurando & inuocato nomine Chriſti Dæmonia eijciebantur in primitiua Eccleſia fiducia Chriſti. Hoc enim faciebat tum temporis, ad commendandam hominibus potentiam Chriſti, & ad confirmandam certitudinē Euangelij Chriſti.

27.

Huiuſmodi tamen Adiuratio, nec Chriſto, nec Apoſtolis, vſitata

fuit:

fuit: Sed alijs quibusdam pijs, minoris authoritatis & gradus. Nam vt Christus sua authoritate propria: Ita Apostoli authoritate Christi, simpliciter præceperunt Diabolis, vt exirent de hominibus.

28.

Paulus in Actis ait: Præcipio tibi per nomen Iesu, vt exeas ab ea. At exorcista sic dixißet: Adiuro te per nomen Iesu, vt exeas ab ea, hoc est, Præcipio tibi authoritate Christi & metu potentiæ eius, ac si ipse Christus tibi præciperet, vt exeas &c.

29.

Magica adiuratio est, quando verborum efficacia & verbis conceptis, & nescio quibus cæremonijs: putant exorcistæ se Dæmones cogere,

re, aut alias creaturas, ad aliquid faciendum. Vt, cùm serpentes adiurati & incantati, venena retinent, & non lædunt gestatorem: sed videntur cum illo quasi colludere. Sed malignus spiritus, dum corpus hominis illæsum seruat, veneno pessimo animum interficit.

30.

Adiaphoram Adiurationem appello, qua quis & benè & malè vti poterit: qualem iudico eam, quæ in nostris Ecclesijs adhibetur in Baptismo infantium.

31.

Nam si adhibetur tantùm, ad significandum, qualis sit conditio hominis extra Christi gratiam, & qualis efficitur per Christi gratiam: Nemo eam iustè improbare poterit,

Siqui-

Siquidem admonet & de ſententia legis in non reconciliatos, & de gratia Euangelij in eos, qui Chriſto inſeruntur per Baptiſmum.

32.

At ſi adhibetur, vt in Papatu, cum inſufflatione & chriſmate, ad expellendum Diabolum, actu habitantem in homine: Non caret manifeſta impietate & ſtulticia. Nam nec Diabolus in infantibus Chriſtianorum parentum habitat: Sunt enim participes fœderis initi, inter DEVM & Abrahamum patrem noſtrum: Nec miraculis clarent miniſtri Eccleſiæ hoc tempore: Nam miracula ad tempus tantùm durare debebant.

33.

Eſt etiam Adiaphora adiuratio,

tio, quando homo hominem adiurat. Nam bona quidem eſt, ſi è cauſa bona procedit, & ad bonum finem tendit: Vt cùm Paulus adiurat Theſſalonicenſes, vt Epiſtola ijs ſcripta legatur coram omnibus fratribus. Mala verò erit, ſi temerariè fit leuem ob cauſam: Tum enim, vt Iuramentum leue, damnatur.

QVÆSTIO.

Sint ne characteres crucis, imagunculæ, ex cera alijſuè rebus, aut aliæ quæuis figuræ, efficaces per ſe, nec ne?

Alia.

An abraſio pilorum Samſonis, eum viribus ſpoliauerit: & ſuccreſcentia eorundem, vires illi reſtituerit, an non?

Eph. 2. [illegible] coloss. 1

~~1 Joh. 5~~ Joh. 3.

R. ulr.

Math. 11 omnes [illegible] venite ad me.

Castrum [illegible] [illegible]

Aug. lib. de peccator. meritis

Quid agis in illo ex[illegible] mortis, si in familia diaboli non teneris? Iste enim sciens nihil respondens pro eo de peccato quod fecerat, quia ille pro se respondere non posset: Cum ergo dictum [illegible] [illegible] diabolo, [illegible] in eo nihil esset.